

Vol. xx. num. 16.

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
**VICTORIA QVERELAE
IN OFFICIOSI TERTIO
PROFICVA**

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

AD D. X. IVLII MDCCXIX.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS CONSVENTIS

DEFENDET

**M. FERDINAND AVGVST
H O M M E L,**

LIPS.

EDITIO SECUNDA.

LIPSIAE

APVD IO. CHRISTIAN. LANGENHEMIVM.

CIOIDCCCLXV.

1. 2.

W. 1. 22. 18.

ДЕЯНИЯ АПОСТОЛА ПАВЛА
ПРОСВЕЩИВШЕГО РИМЛЕН

МАР

УЧЕНИЯ СВЯТЫХ АПОСТОЛОВ ПОСЛАНИЯ
АПОСТОЛА ПАВЛА АПОСТАЛА ПАУЛА

ПОСЛАНИЯ АПОСТОЛА ПАУЛА
ПОСЛАНИЯ АПОСТОЛА ПАУЛА

ДЕЯНИЯ АПОСТОЛА ПАВЛА
ПОСЛАНИЯ АПОСТОЛА ПАУЛА

МАР

ДАТИРУЕНО

LECTORI BENEVOLO

S. D.

A V C T O R.

Miraberis forte, Beneuole et honoratissime Lector, cur haec materiam in dissertationis inauguralis specimen pertractandam sumserim, cum plurimi iam I^Ctorum in ea illustranda operam posuerint, nec elegerim thema aliquod recentius minusque vulgatum? Nec abnuo candide Lector, sed ingenue et rotundo fateor ore, me magis nouis delectari, quam antiquioribus illis et in vulgus iam notis. Verum, concedendum est aliquid hominum genio, et inferiendum tempori, cum experiundo didicerim, noua plerumque suspecta haberi et odiosa. Id quod multis iisque recentissimis possem confirmare exemplis, si per scientiarum genera latius euagari vellem. His ergo inductus elegi hanc differendi materiam, quam in eruditissimorum Doctorum voluminibus pro et contra ventilatam deprehendi. Nimurum, querelam in officiositer tertio proficuum esse, defendant LAV-

◆ ◆ ◆

TERBACHIVS *ad ff. de inoff. testam.* MÜLLERV ad Struv.
tit. tod. §. 24. COCCEIVS in *Iure Controv.* P. I. p. 374.
SCHNEIDEWEN §. 1. I. *de inoff. test.* STRYCK. *de success.*
ab intest. ILL. Dn. THOMASIVS *in not. ad Huber.* BEY-
ER *ad ff. tit. de inoff. test.* §. 5. Aliique plures. E con-
tra negant hoc STRVV. *ad ff. de inoff. test.* §. 24. VIGL. §.
I. I. *de inoff. test.* n. 9. VVLTEI. *ibid. num. 10.* HILLIG. *ad*
Donell. l. 19. c. 10. SCOTAN. ZOES. *ad ff. de inoff. test.* BER-
GER in *Oecon. Iur.* p. 385. et in *Resolut.* Lauterb. tit.
de inoff. testam. p. 128. TITIVS in *Iur. priv.* p. 960. seq.
et plures alii, quos euoluere iam non fuit integrum,
Cum igitur a viris modo laudatis vtramque in par-
tem materia haec fuerit disputata, liberior inde mihi
differendi suppeditatus est campus, cum quamcun-
que secuturus sim sentientiam, habeam tamen magna
semper ordinis iuridici nomina, quae sequi, eorum-
que auctoritati inniti tuto possim. Quo ipso in praes-
senti tractatione nouitatis suspicionem minus incur-
rere potero, praesertim cum eam hypothesis in defendendam suscepimus, quae inter Doctores communior
et in ipsa praxi receptionis est. Si vero in hac quoque
B. L. deprehenderis, quod non ubique decantata illa
Doctorum placita fuerim secutus, tecum reputa, non
omne, quod antiquum non est, spernendum, vel in-
genuo homine prorsus esse indignum.

DISSER-

* * *

DISSERTATIONIS CONSPECTVS.

- §. I. Tam Romanae quam
Saxonicae leges eundem,
quem in tribuenda inte-
stati successione, in con-
cedenda querela ordinem
non obseruarunt.
- §. II. Hinc querendi *Iure*
hoc modo destitutis alia
ratione succurrendum est.
- §. III. Quaestio proposita
bodienum in praxi usum
praeberet.
- §. IV. Transitus ad reli-
qua.
- §. V. Omnis legitima iuris
naturalis non est.
- §. VI. Legitima iam Legi-
bus XII. tabularum ob-
tinuisse videtur.
- §. VII. Testamentum, quo
legitima non rite relata,
duplici actione impugnari
potest.
- §. VIII. Praetextus insa-
niae iuris naturae non est,
- et hinc nec bodie necessa-
rius.
- §. IX. Definitio querelae in-
officiosi.
- §. X. Querela inofficiosi
non est haereditatis pe-
titio.
- §. XI. Querelam instituunt,
qui in testamento rite
sunt exclusi.
- §. XII. Per querelam to-
rum testamentum rescin-
ditur.
- §. XIII. Remouentur obie-
ctiones.
- §. XIV. Victoriam per que-
relam inofficiosi obtentam
aliis etiam, qui proximi-
mum et aequale ab intesta-
to succedenti ius habent,
prodeesse demonstratur a
priori.
- §. XV. Idem demonstratur
a posteriori.

A 3

§. XVI.



- §. XVI. Continuatur haec demonstratio. §. XXVII. *Casus IX.*
§. XVIII. Remouentur obiec- §. XXVIII. *Casus X.*
tiones. §. XXIX. Nonnunquam
§. XVIII. Ultima remoue- aliis quoque, qui aequa-
tur obiectio. le ius ab intestato succe-
§. XIX. *Casus I.* proponitur, dendi non habent, prodest
in quo ventilata quaestio querela.
occurrit. §. XXX. Haec querela ter-
tio nunquam nocet.
§. XX. *Casus II.* §. XXXI. Eadem haec,
§. XXI. *Casus III.* quae de querela inofficiose
§. XXII. *Casus IV.* dicta sunt, utiliter etiam
§. XXIII. *Casus V.* ad nullitatis querelam ap-
§. XXIV. *Casus VI.* plicari possunt.
§. XXV. *Casus VII.* §. XXXII. Finis imponi-
§. XXVI. *Casus VIII.* tur.



DE



DE
VICTORIA QVERELAE
IN OFFICIOSI TERTIO
PROFICVA.

I.

In concedenda inofficiosi querela Leges Romanae consuetum succedendi ordinem per omnia non seruarunt; *Partim* enim iis quos ad Successionem simul vocant, simul tamen querelam non concessere, sed vtique fratres Germanos eorumque liberos Adscendentibus, fratrum liberos fratribus, imo fratres vterinos consanguineis in inofficiosi querela postposuerunt. *Partim* aliis etiam querelam concederunt prae illis, qui in successione certis in casibus melioris sunt conditionis. Sic v. g. in casu: Si concurrunt defuncti fratris germani filius cum patre et auo materno, germani filius simul cum patre

ad

Tam Romanae quam Saxonicae Leges, eandem, quem in tribuenda intestati Successione, in concedenda querela ordinem non obseruarunt.

ad successionem admittitur, excluso suo materno; cum tamen hic, non ille in casu habili inofficiosi habeat querelam. Sic et si quis reliquerit patrem, germani filium et fratrem consanguineum: Hic ab suo excluditur, filio germani ad successionem simul admisso, cum tamen certis casibus consanguineus querelam inofficiosi habeat, quae germani filio semper, et in totum est denegata. *Partim* denique, ut patet ex casu, si concurrant consanguineus frater et germanorum liberi, aliis nonnunquam concederunt querelam prae iis, a quibus semper et regulariter a successione omni prorsus excluduntur. Hoc igitur Romanum vitium patriae leges per denegatam collateralibus simultaneam cum adscendentibus successionem, ademtumque iisdem representationis ius, aliquo quidem modo et ex parte correxerunt, ast in totum tollere haud potuerunt, sed consanguineis fratribus querelam prae germanorum liberis, fratribus uterinis, imo fratribus ante defunctorum natuitatem per Rescriptum Principis legitimatis, adhuc concederunt. quos tamen omnes cum consanguineis ad intestati successionem admittunt.

II.

*Hinc querendi
modo
alio
successione
succurrendum est.*

Cum autem nihil sit naturalius, quam qui gradu sunt aequales, sicque aequalem cum aliis succendi spem habent, iisdem aequale etiam querendi ius concedere, cum tantum proximioribus, remotioribus nunquam, certam post mortem legitimam relinquere aequitas postulare videatur, quia utrumque, tam

tam proxima succedendi spes, quam querelae ius fundamento eodem, gradus nimirum et consanguinitatis proximitate nitanur: Hinc iis, quos prae aequalibus in successione, neglexerunt leges in concedenda querela, ut aliquo saltim modo succurramus, neque plus iis denegemus, quam ipsa denegarunt iura: videndum, annon victoriae per querelam ab aliis obtentae intuitu eorum quoque, qui aequalem succedendi spem habent, effectum quandam tribuere queamus. Hoc autem ne propria facere videamur auctoritate et legibus forsan inuitis; animus est praesenti dissertacione accuratius paulo disquirere: an, et quantum effectum aliquem victoria, per querelam inofficiosi obtenta, aliis, qui idem succedendi ius habent, proficuum, de iure sortiri possit.

III

Hoc tamen antequam fiat, et priusquam rem *Quæstio pro-*
ipsam aggrediar, demonstrandum est ante omnia,
inutili me haud suscepisse laborem, sed eam sele-
gisse materiam, quae in praxi hodiennum suam habet
utilitatem. Evidem, ut ab initio monui, in iure pô-
tissimum Romano, quo representationis ius inter col-
laterales et simultanea fratum cum parentibus succe-
sio obtinet adhuc, frequentiores sunt casus, circa
quos praesens quam ventilandam suscepit quaestio oc-
currere videtur. Ast quemadmodum etiam simul statim
subieci, licet vitio huic leges Saxonicae succurrere vol-
uerint, huic tamen omni ex parte ita mederi haud po-
tuerunt, ut tales casus in praxi hodierna omnes omni-

B

no

nino exulent, quemadmodum id quidem sibi persuasit BERGER in Oecon. Iur. L. 2. tit. 4. §. 17. not. n. p. m. 385. Sicut enim id ipsum casus sub finem dissertationis suppeditandi satis docent, ita ut exempli loco vnum saltim hic addam. Si quis relinquat consanguineum fratrem et germani filium, neuter alterum a successione potest excludere. Non germani filius consanguineum, ob sublatum repraesentationis ius in linea collaterali, vid. Conf. Elect. Saxon. P. III. Conf. 18. §. Wir wollen aber. Nec consanguineus germani filium ob dict. Conf. 18. §. Wenn aber ein halber Bruder, per quam unilateralis frater semper uno gradu reputatur remotior: halbe Geburth tritt einen grad weiter. Sic ergo cum gradu sint parens, pari quoque iure ad intestati successionem admittuntur; Ad querelam vero non aequa, quippe quae in casu habili soli fratri datur, et ultra fratres ad collaterales nullos extensa est. L. 1. ff. de inoff. test. Nec est quod omnem fere infamiae poenam sublatam hodie esse cum H V B E R O existimes in E u o n i . ad l. 1. de his qui not. Infam. p. 3. qu. 135. n. 52. Sicque cum ea ad hunc similesque de fratribus querela casus semper sit necessaria, usum etiam quaestionis nostrae hodie cessare dicas, ut enim taceam, H V B E R I et citati ab eo S C O T A N I sententiam non facere vniuersalem aut totius Germaniae, aut saltem Saxoniae praxin et obseruantiam: posito tamen, omnem etiam infamiae effectum hodie in totum cessare, nunquam tamen leuis notae macula laborantes cessabunt aut deerunt, atqui hi etiam in testamento fratraris instituti legitima
ad

ad querelam causa sunt per l. 27. C. de *inoff. test.* Denique infra alii adhuc secundum patria iura suppeditabuntur casus, in quibus de turpi vel infami persona quaestio non occurrit. Ast vero aliis adhuc tota praefens dissertatio inanis prorsus et inutilis videbitur, qui salutari clausulae, quae tamen hodie in omni testamento plerumque solet adhiberi, tantum tribuunt robur, ut ea querelam prorsus impeditat, faciatque ut testamentum alias inofficium valeat tamen ut Codicilli. Quibus ut satisfiat (1) quidem respondeo dene-gando salutari clausulae tantam vim tantumque robur, quod quidem alii eidem concedunt; quemadmodum enim ex antiqui iuris ratione certum est, codicillaris clausula supplet saltim defectum solennitatum, non vero alias imperfectiones, quae testamentum solen-niter conditum euertunt. Iam vero in testamento inof-ficiose, vbi quis est rite i. e. secundum omnes solen-nitates, ast inique, i. e. contra iura, quibus legitima ipsi debetur, exhaeredatus; defectus non est in solen-nibus, ergo nec clausula codicillaris potest efficere, ut testamentum inofficium valeat in vim codicillo-rum. Cumque praeterea non desint Doctores, qui salutari clausulae effectum hunc denegant, vid. D. P. VOETIVS ad tit. de *inoffic. testam.* §. 6. num. I. forte nec deerunt in foro, qui hoc casu, si scil. adiecta sit clausula, tamen querelam instituendam esse pronuncia-bunt. (2) Licet Notarii clausulam condicillarem omni testamento adiicere plerumque consueuerint, eius tamen usus tantus et tam vniuersalis haud est, ut nunquam omnino eiusdem omissione in nullo testamen-

6 DE VICTORIA QUERELAE

to contingere possit. Ut enim taceam, ex incuria etiam notariorum hanc saepius negligi. Certum tamen est in testamentis rusticorum, vel aliis etiam priuata opera nulloque adhibito Notario confessis, clausulam codicillarem facili negotio posse omitti.

IV.

*Transitus fit
ad reliqua.*

Quae cum ita sint, dubium amplius non est, quaestionem hac dissertatione propositam haud esse inanem, sed hodie adhuc et secundum hodiernam praxisum praeferare suum. Quare his praemissis, ad ipsam rei tractationem iam me accingo. Hocque ut eo felicius procedat, ante omnia quid sit querela infiosi ex genuinis suis principiis, in quantum id quidem ad scopum nostrum opus videbitur, erit demonstrandum.

V.

*An et in quantu-
m legitima
iuris natura-
lis sit.*

Evidem naturali rationem quasi legem quantum tacitam liberis parentum haereditatem addicere, velut ad debitam successionem eos vocando: Paulus ait L. 7. ff. de bon. damnat. conf. et l. u. ff. de suis et legit. haered. l. 7. §. 1. ff. si tab. test. null. exstab. l. 36. §. 2. C. de inoff. test. l. i. C. de impon. lucrat. descript. Attamen omnem omnino, quae lege Ciuli praecepta est, legitimam iuris quoque naturalis debitum esse dici haud potest. De fratum enim parentumque legitima ut iam non dicam, certe ne liberis quidem educatis et sibi met ipsiis vietum quaerere valentibus certam post fata relinquere portionem villa naturalis prae-

praecipit ratio. Imo, finge Patrem egenum admodum atque pauperem, et e diuerso filium multis modis ditiorem, huic pauxilla illa relinquere ne quidem aequitas suadet naturalis, sed eadem potius aliis, vel reliquis liberis itidem pauperibus omnia relinquere bona multo aequius videtur, et affectui paterno convenientius. Denique quid dicendum, si intelligat Pater bona sua, immodico liberorum affectui inferuentia, ipsis futura potius esse damnsa? Hoc certe casu patrem ea, neglectis liberis, extraneis non solum impune relinquere, sed etiam secus faciendo contra ipsa naturalis iuris praecepta peccare, dubium non est. Quamuis igitur hac ratione omnis, prout lege Ciuiili praecipitur, legitima Iuris quoque naturalis debitum dici haud possit, diffiteri tamen nequeo, Deum atque naturam moribundis quoque in bonorum suorum post fata distributione certas scripsisse Leges. Quod si enim eos intueamur parentes, qui, dum moriuntur, ineducatos adhuc et ad proprium vietum quaerendum sibimet ipsis non sufficientes liberos relinquunt, eos, neglectis in tortum liberis, omnia extraneis relinquendo, contra ipsa Summi numinis praecepta grauiter impingere, nec contra liberos tantum, sed vniuersam peccare rempublicam, dubitari non debet. Quorum enim vitae causa sumus, ad eorum quoque vitae conseruationem educationemque, quantum in nobis quidem est, iure etiam perfecto obligamur. Quod de coetero ad ciuilia liberorum alimenta, parentum itidem et fratum legitimam attinet, ea licet naturae lege praecipi existimanda haud sint,

omni tamen naturali fundamento non destituuntur. Etenim et si non praeceptum, aequum tamen satis videtur, et naturali amori conuenientissimum, ut, quibus reuerentiam, aut singularem prae reliquis amorem debemus, eorum etiam prae reliquis vel utilitatem, vel commoditatem quoquis modo promoueamus. Hocque dum, bona nostra vel certam saltim portionem post obitum iis relinquendo, et sine nostro damno vel incommodo fieri queat: Hinc legitimam tam liberorum quam parentum et fratum ut plurimum naturalem suadere rationem et aequitatem nullus dubito. Quae cum ita sint, et Leges ciuiles, quae indoctae scribuntur plebi, non secundum rationem nimis abstractam, sed secundum sensum, sicque vniuersaliter plerumque determinandae sint, et ut Theophrastus scribit, *Iura constitui oporteat in his quae ἐπὶ τῷ πλεῖστῳ, i. e. ut plurimum accidunt, non quae ἐν παραλόγῳ, i. e. ex inopinato.* L. 3. 4. 5. ff. de LL. Hinc recte Romani primo omnibus liberis, secundo Ascendentibus, et tertio certo respectu fratribus aliquam post fata portionem, nisi huic beneficio semet ipsos indignos fecerint, relinquendam praecepserunt.

VI.

*Legitima ius
Legibus XII.
tabularum ob-
tinuisse vide-
tur.*

Qua autem lege apud Romanos legitima sit introducta, quamuis, cum nullibi sit proditum, tam certo determinari non possit, antiquissimis tamen temporibus eam apud Romanos obtinuisse satis est certum. Et cum Lege iam ciuili, i. e. disputatione fori, sicque

sicque statim post introductas XII. tabularum Leges de exhaeredatione quatenus nimirum permissa sit, vel non, actum fuisse legamus §. 3. *I. de exhaered. liber.* Legibus iamiam XII. tabularum aut statim post illas legitimam fuisse introductam improbabile haud est.

VII.

In hac ergo de Legitima Romanorum doctrina *Testamentum,*
 praeter naturalia illa multa adhuc peculiaria, quae
 que iuris tantum ciuilis sunt, illi admiserunt, quae
 tamen, cum a scopo videantur aliena, merito iam
 negligimus. Hoc in praesentiarum attigisse sufficiat,
 hos ipsos, quibus debetur legitima, certis ex causis
 exhaeredari posse, quarum quatuordecim respectu
liberorum Nov. 15. c. 3. octo intuitu parentum *d.*
Nov. c. 4. et tres tandem quoad Fratres *Nov. 22. c. 47.*
 expressas legimus. Tenendum praeterea, ad tota-
 lem hanc quoad omnia bona exhaeredationem Roma-
 nos quodam requisuisse solennia, quibus neglectis
 exhaeredatio erat inanis. Sic v. g. Exhaeredandus
 expresse est nominandus et a legitima praecludendus,
 imo causa exhaeredationis praecluse et nominatum ad-
 iiicienda. Quae cum ita sint, videmus testamentum,
 in quo legitima iis, quibus debetur, rite non est reli-
 eta, duplice ex ratione impugnari posse, vel ob solen-
 nium defectum, ob quem testamentum ipso iure nul-
 lum est, vel ob iniustitiam, quando quis rite quidem,
 sed ex falsa causa iniuste est exhaeredatus, et tunc
 summo quidem iure valebat, sed ope rescissionis anni-
 hilatur. Hoc ergo nomine duplice quoque prodi-
 tam

tam videmus actionem, NVLLITATIS QVERELAM, qua ob solleñum defectum testamentum petimus pro nullo declarandum, et QVERELAM INOFFICIOSI, qua testamentum stricto iure validum ob eius iniustitiam petimus rescindendum. *Pr. I. l. 1. ff. l. 1. C. de inoff. test.*

VIII.

*Praetextus in-
saniae an iu-
ris naturae sit
et hodie adhuc
necessarius.*

Hanc inofficiosi querelam cum non raro liberi quoque instituant aduersus testamenta parentum, horum autem constitutiones impias vocare, reuerentiae iisdem debitae contrarium videatur, hinc dementiae colorem huic actioni praetexerunt Romani, finixeruntque patrem non sanas mentis fuisse dum testamentum conderet. *Pr. I. inoff. test.* Hic quamuis non lim certo determinare; vtrum minus sit patrem dementiae, quam iniustitiae accusare; hoc tamen certum est, ipsum hoc commentum iure naturali haud esse praeceptum vel introductum, alias enim hodienum illud in libello exprimendum foret, nisi ipsum iuris naturae praeceptum; *honeste viuas*, moribus nostris labefactatum, hodieque obsoletum credere velimus, vt a quodam Antecessore disputatum esse ex BARCLAI refert HYBER ad tit. ff. de inoff. test. Evidem esse nonnullos, qui hodie adhuc sicut hunc in libello necessarium esse contendunt, non ignoror. Verum enim vero, cum is iure naturali haud sit fundatus, et dubium adhuc, quoniam reuerentiae paternae magis sit contrarium, patrem vel impium dicere, vel non sanas mentis: et praeterea hoc ipsum com-

commentum a speciali formularum conceptione dependat, hinc a plerisque doctorum, dementiae praetextum in libello hodie amplius necessarium non esse, recte ut puto deciditur. *vid. STRVV. in Syntag. ad tit. de inoff. test. §. 3. TITIVS in iure priv. l. 7. c. 14.* §. 4. p. m. 959. Excell. Dn. BOEHMER in tractatu de *Act. p. m. 125. Diff. Dn. COCCEIVS in Iur. contr. P. 1. p. 357.* aliique. De coetero hoc fictionis exemplo minimum docemur falsam esse vulgarem pragmaticorum regulam: *Fictio in casu ficto idem operatur quod veritas in casu vero.* Quod si enim hoc in casu testator, prouti fingitur, reuera furiosus fuisset, testamentum ipso iure esset nullum, sicque inofficiosi querela non rescindendum, vt insimul recte monetur in dicto *pr. I. de inoff. test.*

IX.

His igitur ita expositis, facilior nunc ad rem *Definitio ipsam erit progressius.* Cumque ex definitione omnis *querelae inofficioſi.* cuiuscunque tractationis veritas pateat: Ita in praesentiarum ante omnia de querelae inofficiosi definitione ero sollicitus. **E S T E R G O H A E C V T** ex praemissis patet **P R A E P A R A T O R I A H A E R E D I T A T I S P E T I T I O N I S A C T I O , Q V A T E S T A M E N T U M , P E R Q V O D R I T E Q V I D E M A S T I N I Q V E A D E B I T A H A E R E D I T A T E E X C L V D I M V R , T A N Q V M I N O F F I C I O S V M I N T O T V M P E T I M V S R E S C I N D E N D V M .**

X.

Vt autem definitioni huic, tanquam genuino *Quarela in-*
dissertationis nostrae fundamento eo tutius innitamur, *officioſi non eſt*
haereditatis

C

singula *petitio.*

singula eiusdem capira examinanda iam veniunt. Cumque omnis definitio in duas se quasi resolutas partes, in genus et differentiam: Ita, ad prius quod attinet, Querelam dixi actionem haereditatis petitionis preparatoriam, quam tamen plerique haereditatis petitionem ipsam esse contendunt. Verum enim vero 1) petitur per querelam rescissio testamenti tanquam inofficiosa. *I. 30. pr. C. de inoff. test.* e contra in haereditatis petitione petimus, ut haeraeditas nobis adiudicetur, hinc pater, in vtrahque actione diuersa esse petitia, ex quo consequitur, diuersas etiam esse actiones, eadem enim actio ad idem tendit, quae tendunt ad diuersa, diuersae etiam sunt actiones. Et licet duplex hoc petitum, rescissio testamenti et haereditatis petitio, in uno fiat libello, ex eo tamen non unitas actionis probatur, sed hoc saltim sequitur, uno in libello cumulari duplarem actionem, quod saepius posse contingere hodie certe nullum est dubium. 2) Omnis haereditas petitur vel testamento aliquo existente, vel nullo, aut, *vt I. i. 2. 3. ff. de haered. petit.* exprimitur, vel ex testamento vel ab intestato, tertium non datur. Iam vero, inofficiose testamento adhuc existente, qui querelam instituunt non possunt haereditatem petere *ex testamento*, in hoc enim sunt a successione exclusi: *Nec ab intestato*, quia existit adhuc testamentum, summo iure validum nondumque rescissum: Extante autem testamento, non est causa intestati. *argum: pr. Inst. de haered. quae ab intest. defer.* Ergo, antequam peti possit ab intestato haereditas, praecedere adhuc debet petitio *ut testamen-*
tum

tum rescindatur, quodcunque autem haereditatis petitionem praecedit, illud non est ipsa haereditatis petitio. Huc accedit, quod vel ex inofficiosi querela non possit esse haereditatis ab intestato petitio, quoniam eodem ordine atque iisdem personis, quibus haereditatis ab intestato petitio, non conceditur vel defertur. *conf. §. 1. 3)* Querela inofficiosi datur solum contra haeredem scriptum, et si possessor non sit *L. 8. §. 10. ff. l. 1. C. de inoff. test.* Nam contra hunc solum rescissio testamenti effectuum habere potest: haereditatis autem petitio non contra haeredem datur, sed contra quemuis, qui vel pro haerede vel pro possessore etiam possidet. *L. 7. C. de haered. petit.* Ab alio enim, quam qui eam possidet, restitutio haereditatis peti non potest. Hinc inter haereditatis petitionem ordinariam et extraordinariam frustra distinguitur, quasi in illa solum, aut, ut *l. 9. ff. de haered. petit.* dicitur, regulariter saltem id contingat, quippe cum ipsa rei natura monstrret, haereditatis petitionem siue ordinariam siue extraordinariam contra solum possessorem esse instituendam, quod enim quis non possidet, illud incongrue et frustra omnino ab eo petitur. Verum ne frustra haec asseruisse videantur contrarie sentientes, multas et varias pro defendenda sua hypothesi proferrunt leges et rationes. Ut ergo e pluribus illis unum saltem, idque ex propria eorum confessione fortissimum, hic addam argumentum; prouocant ad leges expressas *L. 8. §. 8. l. 19. in fin. l. 20. l. 21. §. 2. l. 27. §. 3. ff. de inoff. test. l. 14. de haered. quae ab intest.* quibus singulis haereditas euinci vel peti per querelam

C 2

dicitur.

dicitur. Hoc ergo argumentum cum primo quidem intuitu satis firmum et ineuitabile videatur, re ipsa tamen non est. Posito enim hunc, quem illi volunt, esse verum harum legum sensum; Legislatores tamen non possunt rerum immutare naturas, et, quae natura diuersa sunt, per leges suas facere eadem. Deinde plus simplici vice leges Romanæ, quid afferunt quod propriis earum contrarium est principiis, quodque re ipsa alio loco multis modis negant. Sic v. g. *l. 15.* *in fin. ff. de Seruit.* nullam seruitutem in faciendo posse consistere disertis verbis dicitur; Ast vero in *l. 33.* *ff. de seruit. praed. urban.* *l. 6. §. 2. ff. si seruit. vind.* in oneris ferendi seruitute seruiens obligatur ad refutationem. Denique, quod in his legibus de querela ipsa dicitur, intelligendum potius de querelæ libello, cum enim in hoc non simplex proponatur querela, sed haereditatis quoque petitio eventualiter adjiciatur, per illud haereditas peti recte omnino dicitur.

XI.

Querelam instituant qui in testamento rite sunt exclusi; Atque haec iam de genere definitionis nostræ dixisse sufficiat, progredior nunc ad reliqua, diffente specificam. In hac vero duo occurserunt momenta, et primo quidem dicitur, quis valide querelam instituat? secundo in quem finem? Valide querelam instituere posse omnem, a debita legitima rite quidem sed inique exclusum, supra dictum est §. 9. Vbi ne quem forte offendat *principium Inst. et l. 3. ff. de inoff. test.* in quibus praeteriti querelam mouere posse dicuntur: monendum, quod hic talis praeteritio quae pro exhaeredatione alias habetur,

betur, intelligenda sit, quod iis in casibus contingit, in quibus expressa exhaeredatio non fuit desiderata, ut quidem in exhaeratione filiarum, *pr. Inst. de exhaered. lib.* et filiorum quoque a matre facta *dicio pr.* Haec tamen, cum leuia satis et omnibus cognita sint, amplius non moramur.

XII.

Dicendum ergo restat, in quem finem querela *per querelam inofficiosi instituantur*, ut inde de libelli petito possit *totum testamento remanentem re-scinditur.* constare. Evidem §. 9. per querelam totius testamentum rescissionem petendam esse, supra asserui. At-tamen hoc ipso aliis nimium, aliis non satis peti vi-debitur. Non satis hac ratione peti, sibi persuadebunt, qui inofficiosi querelam pro haereditatis petitionis spe-cie habent, siveque, simul eius in petito mentionem faciendam esse, existimant, quibus tamen, cum §. 10. iam sit factum, denuo non respondemus, sed ad eos progressum facimus; qui dum per querelam testamentum non in totum, sed saltim pro parte infir-mari dicunt, peritum, prout supra fuit formatum, hoc modo restringendum esse sibi persuadent. Ver-um enim vero *primo* contrarium evincitur ex expres-sis textibus, quibus, absque illa certae partis facta mentio, testamentum in genere rumpi atque rescin-di dicitur. *Vid. l. 28. ff. l. 28. l. 30. pr. l. 32. l. 34. C. de inoff. test.* Secundo, si testamentum pro parte saltim rescinde-retur, reuera pro parte testatus et pro parte intestatus testator decideret. Contra expressam *l. 7. ff. de Reg. Iur.* Objiciunt equidem (1) hoc casu id non contingere fa-

Eto testatoris, qui condat testamentum, summo iure in totum validum, sed facto legis, quae illud postmodum ex parte rescindat. Ast initio quidem nego prorsus, hoc non fieri ex facto testatoris. Siue enim quis condat testamentum, ab initio statim ex parte nullum, siue ex post facto pro parte rescindendum, in effectu perinde est. Dein, quid si etiam concedam id facto, saltim legis, contingere: contingit tamen. Atqui harum rerum, *testatus et intestatus*, naturalem inter se pugnam statuebant Romani. c. l. 7. ff. de R. I. Nec ibi, vtrum hoc facto testatoris, an vero legis contingat, distinguunt. Objiciunt (2) falsam omnino hanc esse *citatae* l. 7. regulam, cum aliis in locis plus simplici vice hoc Romani permiserint. Ad hoc quod attinet, euidem non ignoro, iuris ciuilis regulas tam firmas atque vniuersales haut esse, vt nullam prorsus exceptionem admittant, interim tamen in tantum semper firmae manent, in quantum contraria lege vel ratione non infringuntur. Etsi igitur, vtrum quoad alias casus in nostra id contingat regula, disquirere iam nolim, certum tamen est, in casu proposito, quod per querelam pro parte saltim rescindi possit testamentum, leges expressas deficere, quamobrem huic *Legis* 7. ff. de Reg. Iur. regulae hoc casu standum adhuc est, quoniam per leges vel rationes contrarias hac ex parte non potest infringi, licet eadem alias suas pati possit exceptiones.

XIII.

*Remouentur
objectiones.*

Ast sententiae huius fautores neque his sibi destituti videntur, sed pro defendenda hypothesi prouocant

uocant ad Nov. 115. c. 3. in fin. qua cautum est, ut, testamentō licet per querelam rescisso, nihilominus valeant adhuc legata, quo ipso per expressam legem, querelam testamentum in totum haud infringere, satis probatum putant. Verum enim vero ab initio non erat sic, sed iure Institutionum, Digestorum et Codicis per querelam inofficiosi, libertates, legata, et in genere vniuersa testamenti capita fuisse rescissa satis abunde testatur l. 8. §. 16. l. 20. l. 28. ff. de inoff. test. Quod vero in cit. Nov. id hoc modo fuerit immutatum, factum est contra omnem iuris Romani rationem, et suasu forsan cleri, cui per testamenta magna plerumque relinquebantur legata, quae adeo per querelam hoc modo euerti aegre patiebatur. Coeterum lege illud introductum est speciali, cum vero haec de solis data sit legatis, ad haeredis institutionem extendenda haud est, quae, lege speciali cessante, per querelam in totum rescindi adhuc putanda est. Ast dubitabunt forsan, vtrum eiusmodi lex specialis hoc quoque casu cesseret, dum prouocant a) ad L. 27. §. 3. ff. de inoff. test. qua, testamentum pro parte tantum per querelam infringi, disertis verbis, ut illi putant, dicitur. Ad quam quidem quod attinet, potius, ut ex ipsa patebit inspectione, de haereditatis petitione ea loquitur quam de querela. Sicque in hac lege vel ex errore haereditatis petitionem cum querela VLPIANVS confundit, aut, ut supra iam dictum, hic quoque de querelae libello intelligendum, quod de ipsa querela asseritur. Hisce positis, naturale satis nobisque contrarium haud est, quod, rescisso

so antea per querelam testamento in totum, per euentualem haereditatis petitionem, postmodum haereditas pro parte saltim, et pro portione debita ab intestato succendentibus peti queat. β) Prouocant adhuc ad l. 15. s. 2. ff. de inoff. test. qua asseritur, quod si quis contra duos experietur haeredes diuersis in iudicis hoc euentu, ut in altero vincatur, in altero obtineat, tunc eum non totam accipere haereditatem, sed eius saltim portionem, contra quem in querela obtinuit, relicta altera parte apud haeredem vincentem. Circa quam legem initio statim monere liceat, quod propositus in ea casus a scopo plane sit alienus, in eo enim ex accidenti saltim contingit, ut haeres scriptus vnam partem, et alteram haeres ab intestato nanciscatur, non vero ex ratione iuris. In se enim et de iure vel totum testamentum subsistit, vel totum rescindendum est, utrum vero iuris sit inter iudices adhuc non constat, quo sit, ut saltim ex accidenti haereditas inter hos diuidatur, quo ipso tamen testator ex parte saltim testatus decepsisse aequem minus existimandus est, ac existimandus esset, si ex duabus exhaeredatis vnum queratur, alter vero minus, vel si scriptus haeres vi doloue aliquid ex haereditate retineat.

XIV.

Victoria per querelam in officiis obtentam aliis etiam, qui pro-

Hisce ita expositis atque deductis feliciorem nunc ad ipsam propositae quaestions decisionem progressum facimus. Nimirum quaeritur, num victoria per querelam in officiis obtenta aliis etiam, qui proximum

INOFFICIOSI TERTIO PROFICVA. 19

mum et aequale ab intestato succedendi ius habent, ximum et
aequale ab in-
testato succe-
dendi ius ba-
bent, prodes-
se, demonstra-
tur a priori.
prodesse possit, nec ne? Ego quidem affirmatiue problema hoc decidendum esse puto, atque ex praemissis, a priori primum, hunc in modum deduco. Per querelam inofficiosi non haereditas sed rescissio testamenti tanquam inofficiosi petitur. Per tradita §. 10. Porro testamentum, quod totum est inofficium, in totum quoque certe quoad haereditatis institutionem rescinditur per tradita §. 13. et 14. Iam vero, testamento in totum rescisso, quid demum obtinet? Respondeo, testamento valido amplius non existente succeditur absque testamento, h. e. ab intestato. Vtrum enim nullum unquam adfuerit testamentum, an vero testamentum inuallidum, perinde est. Iam vero, ab intestato non is solus succedit, cui data est querela, sed alii adhuc, quibus vel ob gradus proximitatem, vel ex aliis causis proximum et aequale ab intestato succedendi ius concederunt leges. Quae cum ita sint, testamento per querelam euerso, haereditatem simul omnes petere posse, quos ad intestati successionem simul vocant iura, tam est clarum, quam quod clarissimum. At enim vero Dn. BERGER in Oecon. Iur. L. II. Tit. 4. §. 17. not 11. praemissis omnibus concessis, totam tamen hanc argumentationem infringere vult, distinguendo inter successionem ab intestato initio statim, i. e. nullo condito testamento, et ex post facto tales, i. e. eo quidem condito, sed per querelam postmodum rescisso: hanc in suppositis a nobis casibus dicit obtinere,

D

nere,

nere; non illam. Cui quidem dubio ut breuibus respondeam, dico: Lege non distingue[n]te nec nostrum est distinguere, cumque Romanae leges unicam semper et uniformem tradant ab intestato successionem, neque nos, nouam fingendo speciem, distinctionem, quae ciuili lege haud fundatur, efformare debemus.

XV.

*Idem demon-
stratur a po-
steriori.*

Hactenus ergo a priori, et ex suis Principiis demonstratum est, querelam inofficiosi tertio prodesse quoque saepius: nunc idem faciendum a posteriori, et per ipsos iuris ciuilis textus. Hac de causa primum quidem prouoco ad l. 6. §. 1. ff. de inoff. test. Si quis ex his personis, quae ad successionem ab intestato non admittuntur, de inofficio egerit (nemo cum repellit) et casu obtinuerit; non ei pro sit victoria, sed iis, qui habent ab intestato successionem, nam intestatum Patrem Familias facit. Hac ipsa in lege duplex pro sententia mea latitat argumentum. Primo enim dico: Quicunque defunctum per querelam inofficiosi intestatum facit, ille sine ulla distinctione omnibus ab intestato successuris successionem aperit. Probo, quia ex hoc principio, in lege nostra Vlpianus subsumit ad casum propositum, quod sic extraneus quoque omnibus viam ad successionem aperiat, quod facere non posset, nisi haec propositio praemissa esset vniuersalis. Iam vero, qui de iure querelam mouet facit defunctum intestatum. Probo ex eadem lege, quia hoc quo-

quoque efficit querela ab extraneo mota, ergo multo magis id operabitur querela ab eo instituta, qui ius querendi habuit. Querela enim ab extra-
neo illegitime mota non potest plus operari quam
querela iusta, quod tamen fieret, si illa tantum de-
functum intestatum reddere possit, non haec. Se-
cundo, ex hac, quam ob oculos habemus lege vi-
dere est, aduersariorum sententiam falsam, et omni
iuri refragantem parere conclusionem, quod si
enim querela iuste mota soli prodesset querenti,
ita ut solus hic totam caperer haereditatem, seque-
retur necessario, quod extraneus querelam mo-
uens, siveque, prout in lege dicitur, non soli ex-
haeredato, sed omnibus indistincte ab intestato suc-
cessuris successionem aperiens, legitimo actori il-
legitima sua actione, in qua casu saltim, et ex er-
ore obtinuit, citra eiusdem culpam praeciudicaret.
Iam vero, hoc ipsum contra omnem iuris est ratio-
nem, et expressam l. 63. pr. ff. de re iudic. res inter
alios iudicata aliis non praeciudicat. Ergo falsum
 quoque erit huius principium, ex quo certo et ine-
 uitabili nexu conclusio haec deducitur.

XVI.

Cum autem ultimum hoc argumentum eos Continuatur
hunc demon-
stratio. imprimis feriat, qui totam haereditatem per que-
 relam exhaeredato acquiri dicunt, in eo vero non
 omnes consentiant, utrum pars reliquorum, ab
 intestato alias succedentium, manere debeat apud
 haeredem scriptum, an vero eam simul exhaereda-

tus, et post modum in querela obtinens capere debeat, aliquis hanc, alii vero illam defendant ac tueantur sententiam; ita, ut utrisque satisfiat, generali quodam dilemmate, neutrum fieri debere, hunc in modum demonstro. Si victoria querelae reliquis, ab intestato alias simul succendentibus, non prodebet, tunc necessario horum pars aut maneret apud haeredem scriptum, aut accresceret auctori, qui in querela obtinuit; atqui neutrum procedit; **NON PRIVS, partim**, ob indiuisibilitatem hereditatis, propter quam nemo testatus pro parte, pro parte vero intestatus decedere potest *per l. 7. ff. de Reg. Iur. conf. quae dicta sunt §. 12.* **partim**, quia alias *per legem Ipho anteced. cit. 6. §. 1. ff. de inoff. test.* querela ab extraneo, et qui casu saltim obtinuit illegitime mota, plus contra reum, haeredem scil. scriptum, operaretur, quam querela a legitimo auctore iuste instituta, quod tamen contra naturam, **NEC POSTERIVS, Partim**, quia nullum est ius accrescendi, ubi nulla est coniunctio, **Partim**, quia mota querela nemo potest plus petere, quam alias petiisset ab intestato: *arg. l. 8. §. 8. ff. de inoff. test. partim*, quia nulla appetat ratio, ob quam exhaeredato adhuc prodebet exhaeredatio, et cur testator ei, quem exhaeredando ab omni etiam alias debita exclusum voluit haereditate, hoc ipso plus adhuc, quam debebat, relinquere teneatur, cum tamen ultimae semper voluntates, in quantum iustae sunt, et iuste subsistere possint, seruari debeant: **Partim denique**, quia hoc modo aetio

actio extranei, ipso legitimo actori citra eius cul-
pam noxia esset futura, per ea quae *circa fin. spbi
anteced.* tradita sunt. Ergo ex his consequitur,
quod cum pars reliquorum non possit manere apud
haeredem scriptum, nec accrescere viatori, ea ne-
cessario reliquis, ab intestato simul successuris,
adjudicanda sit.

XVII.

Atque haec sunt, quae pro stabilienda pro-
Remouentur
bandaque sententia, quam praesenti dissertatione
defendendam suscepi, proferri potuerunt. Sed
cum contraria quoque hypothesis sua habere vi-
deatur argumenta et rationes: hinc restat ut eas,
in quantum valeant, examinando adhuc remouea-
mus. Et 1) quidem, Querelam reliquis ab intesta-
to alias successuris proficiam esse, vel exinde du-
bium videri dicunt, quod hoc modo ipsi hi, qui-
bus querelam leges dederunt, quandoque deterio-
ris futuri essent conditionis, quam reliqui, quibus
iura eandem denegarunt. Siquidem, molestiam
et sumptus litis soli ferendo, reliquis absque ullo
talismodi onere successionem aperirent. Verum
ad hoc quod attinet, melioris conditionis semper
adhuc erunt, quibus concessa est querela, p[ro]e aliis,
quibus eadem denegata. Siquidem, his etiam de-
ficientibus pro lubit[ur] et ex propria persona, suo iu-
re agere poterunt illi, secus ac hi, qui, illis des-
cientibus, omni prorsus succedendi spe in totum
destituuntur: Quod autem sumptus et onera litis
ferre debeant, illud ex accidenti fit, et onus est,

D 3

bene-

beneficio illorum inhaerens. Inquiunt 2) quod, spectatis rectae rationis principiis, qui querelam habent, proximiores semper sint quam quidem alii, qui eam non habent, vt adeo illis p[re]ae his successio[n]is praerogatiua merito debeatur. Pluribus hic, quam ipsi etiam postulant contradicentes, concessis: illos non solum spectatae rectae rationis, sed iuris etiam civilis principiis et regulis, gradu his esse proximiores, solum tamen, querelae ius illis p[re]ae his competere, quod nec nos ipsis denegamus, inde euincetur, nunquam autem in successione ab intestato aliqua p[re]ae his praerogatiua, quia in hac concedenda Romani ad gradus proximitatem non respexisse, sed fratres Parentibus aequaliter, germanorum liberos fratribus unilateralibus praetulisse, ordo, quo ad intestati successionem vocabant defuncti consanguineos, testimonio est. Per-gunt autem 3) et dicunt, restitutionem haereditatis esse executionem sententiae, qua haereditas querenti fuerit addicta. Executionem autem non posse latius extendi quam ipsa pateat sententia. Ante omnia, et ab initio statim hic, quod supra iam de distinctione querelae inofficiosi a haereditatis petitione memoratum fuit, in memoriam iam revocandum, cumque, vt §. 10. monstratum, inofficiosi querela praeparatoria solum sit haereditatis petitionis actio, non ipsa petitio haereditatis; sequitur inde, male in opposita obiectione restitutionem haereditatis dici executionem sententiae, qua haereditas querenti fuerit addicta, quippe quae solum eam

eam perenti, non querenti, qua tali, adiudicari potest, et cum querens non petat hereditatem, sed testamenti seu inofficiosi rescissionem, hinc nec ei quod non petiit, neque hac actione petere debuit, per sententiam poterit adiudicari. Deinde, rescisso etiam per querelam testamento, adiudicataque pro parte sua victori haereditate, reliqui succedentes neque ex hac sententia haereditatem sibi quoque restituendam postulant, sed ex iure et actione proprie eandem petunt. Testamento enim per querelam annihilato, singuli, tam ipse querens, quam reliqui, alias in successione pares, peculiarem habent pro sua parte haereditatis petitionem, quam ille quidem simul cum querela eodem libello cumulare potest, hi vero peculiari iudicio instituunt, si forsan vel ipse, qui mouit querelam, vel haeres scriptus, vel quilibet demum alius partem eorum ratam detineat. Vrgent 4) dissentientes, quod quibus leges denegauerint querelam, denegasse etiam videantur successionem. Ast *μρενόμενον* hoc est, principique petatio, et mihi e contra hoc ipso successionem ipsis denegasse non videntur. Verum clariss se explicando pergunt 5) dicuntque, quos leges a querela inofficiosi arceant, eos arcere etiam cum effectu, adeoque cum exclusione ab omnisi successionis, nec secundum verba solum, sed realiter omnino a querela reliquos exclusisse videri, cum e contra, si hos simul admittamus, necessario id fiat in fraudem legis. In hac ergo controuersia, ut mixtim quasi litem contestem, primo concedo, a que-

querela inofficiosi cum effectu arceri, qui ab ea per leges arcuntur. Concedo porro, leges quos a querela excludunt, non secundum verba, sed realiter exclusos velle. Concedo denique, nihil in fraudem legis fieri debere. Ast nego, successionem esse effectum querelae inofficiosi, siveque in fraudem legis admitti ad successionem, qui exclusi sunt a querela. Successio enim, et haereditatis adjudicatio, ut plus simplici vice dictum, est effectus haereditatis petitionis, non inofficiosi querelae, quae solum testamenti operatur refectionem. Ast dicas, nisi praecessisset querela, neque haeredibus ab intestato haereditas adjudicari potuisset, et hinc querela est causa adjudicationis haereditatis, siveque haec illius effectus. Ad quod quidem quod attinet, respondeo, hoc quidem respectu querelam adjudicationis haereditatis causam dici posse, at propterea haec non illius effectus, non enim omnis causa causa est efficiens, sed datur etiam causa ex accidenti talis, seu causa, ut loquuntur, sine qua non. Atqui haec, non illa, est etiam inofficiosi querela, respectu adjudicationis haereditatis, ut adeo, licet querela inofficiosi certo respectu causa possit dici successionis, propterea tamen haec illius effectus non sit.

XVIII.

Vltima removetur obiectione. Vltimum adhuc idque fortissimum, ut illi quidem putant, restat argumentum, dum si dicunt differentientes, impossibile esse, quod res inter alios decisa ratione tertii possit habere effectum, hocque principium et legibus et rationibus firmum esse existi-

existimant, prouocando inter alias ad l. 16. in fin. ff. qui potior. in pign. bab. it. ad l. 2. C. quib. res iudic. non. noc. etc. Licet vero in his vniuersaliter et absque restrictione res iudicata tertio nec nocere, nec prodesse dicatur: *Leges tamen Romanae non semper secundum vniuersalitatem suam interpretandae sunt, sed cum plerunque per formam regulae proponantur, suas interdum patiuntur exceptiones.* Sic regulariter quidem sententia inter solos litigantes ius facit, ratio est in promptu, quia regulariter in solos litigantes dirigitur. v. g. Si Caius Titio debeat centum, proptereaque ab eo iudicialiter conueniatur, et in actione vincatur; in sententia pronunciat index: daß Caius Titio die libellirte hundert Thaler zu zahlen schuldig V. R. W. Si ergo idem ex eadem causa Sempronio quoque debeat centum, Sempronius ex hac sententia eos non postulabit, cum in ea solius Titii facta sit mentio, huicque debitum adjudicatum, non Sempronio. Ast in querela inofficiosi regula citatae l. 16. ff. qui potior. in pign. et l. 2. C. quib. res iudic. non noc. patitur exceptionem, quia cessar in ea suppeditata iam ratio. In hac enim si quis obtinuerit, in nullam actoris vel rei certam personam dirigitur sententia, sed in genere pronunciatur; daß des Verstorbenen Testament als inofficiosum zu rescindiren. Cumque sic nullius certae personae inuitu, sed in genere prolata sit sententia: testamentum tanquam inofficiosum rescindendum esse; nulla

E

appa-

apparet ratio, quare sententia haec non omnibus, quibus defunctum intestatum esse interest, ita per indirectum possit prodesse, ut, testamento amplius non existente, ab intestato haereditatem petere queant.

XIX.

Casus I. proponitur, in quo ventilata questione occurrit.

Sieque satis probasse mihi videor id, quod erat propositum, quod scilicet in concurso, post obitum testatoris inofficiosi, plurium alias ab intestato simul succendentium, quorum ali querelam mouere possunt, alii vero non; Victoria illorum his quoque prodesse debeat. Nunc ergo videndum, quibus in casibus quaestio haec possit occurtere, et quid in iis, si occurrat, ex praemissis sit decidendum. Cumque iuris civilis ab intestato successio per Saxonicum ius maxime sit immutata; Ira casus, qui solius iuris civilis sunt, separabimus ab iis, qui Saxonico etiam iure contingere possunt, ita quidem ut de illis prius, postmodum de his quoque simus acturi. Et PRIMO quidem de iure civili concursum talem contingere videmus, si quis relinquat unum, vel plures ex adscendentibus, et fratres germanos, hisque omnibus legitimo modo i. e. rite, ut dicitur, exclusis, praeferat in testamento extraneam eamque honestam personam. Nimirum hoc casu ad querelam admittuntur Adscendentes per §. 1. I. l. 14. 15. ff. et l. 28. C. de inoffic. testam. non vero fratres l. 27. C. de inoff. testam. quia iis in

in testamento infamis persona non fuit praelata. Iam vero in successione ab intestato vtrique tam adscendentibus, quam fratres pares sunt, et simul aequaliter admittuntur. Quaeritur ergo, an testamento per illorum querelam infirmato, hi quoque in partem ratam, ac si nullum plane conditum esset testamentum, succedere debeant, nec ne? Quod ego quidem ex praemissis affirmandum esse duco, quia testamento per querelam everso succedunt omnes, quibus intestati successio- nem iura concesserunt.

XX.

SECUNDVS est casus si concurrant adscen-^{Casus II.}
dentes cum Germanorum liberis. Illi enim soli
admittuntur ad querelam, cum e contra in inte-
stati successione vtrique sint pares. Liberi enim
repraesentationis iure in locum succedunt defun-
ctorum parentum per Nov. ug. c. 3. conf. Dn.
STRYK de success. ab Intest. Diff. III. c. 1. tb. 7.
Hi autem simul ad successionem cum adscendentibus
admittuntur per cit. Nov. ug. c. 2. Equidem,
an in hoc speciali casu, si concurrant praefunctorum
fratrum liberi, cum defuncti parentibus hi itidem iure
repraesentationis vtantur et cum
his simul succedant, nec ne, controuertitur. Li-
cet enim hoc in Nov. cit. ug. c. 3. ipsis denegetur,
id tamen correxit iterum Nov. 127. pr. et c. 1.
Cumque in hac solus casus, si superstites simul
sint

sint fratres defuncti exprimatur: an decisio Nouel-lae ad solum hunc casum quoque restringenda sit, an vero idem dicendum, si fratres deficiant, sic que soli fratum liberi cum adscendentibus concur-rant, in eo Doctores nondum conueniunt. Ve-rum enim vero tam in foro receptior, quam ipsi textui convenientior affirmativa est sententia. Nul-la enim inter casum vtrumque disparitatis est ratio. Imo, cum in casu posteriori, vbi soli concurrunt adscendentes cum Germanorum liberis, desit ad-huc persona, quae in posteriori accedit, impossibili-
le et contra naturam est, personam deficienteum ali-um posse excludere. Ut adeo, cum Germano-rum liberi non excludantur ab adscendentibus et fratribus defuncti simul, multo minus excludi pos-sint ab adscendentibus solis, in casu si fratres defi-ciant. Si ergo defunctus condito testamento vtros-que, tam adscendentes, quam fratum liberos ne-glexerit, illi quidem soli de inofficio queri poter-
runt, ast testamento per hos euerso, hi quoque, repraesentationis iure vtentes, in partem parenti-bus eorum, si in viuis essent, debitam simul cum illis succedent.

XXI.

Causa III.

Quaeritur TERTIO, quid dicendum, si quis reliquerit germanum fratrem, et alterius praedefuncti germani liberos. Illis enim solis da-bitur querela, si persona infamis vel leuis notae
macu-

macula laborans fuerit in testamento instituta per L.
27. C. de *inoff. test.* His vero non, quia querendi
ius ultra fratres ad collaterales nullos extensem
est. An ergo, testamento per querelam germano-
rum euerso, hi etiam soli succedent? an vero
simil cum illis praemortui germani filii? Resp. te-
stamento per querelam euerso, causa sit intestati,
sicque ad successionem simil admittuntur omnes,
qui admittendi simul fuissent; nullo prorsus testa-
mento condito. Cumque germanorum filii, pa-
rentes suos repraesentando, pari cum defuncti ger-
manis sint gradu, sicque aequali cum ipsis succe-
sionis iure vtantur, his ipsis quoque successio post
conditum quidem, sed euersum testamentum dene-
ganda non erit.

XXII.

Atque hi fuerunt casus, qui secundum ius ci- *Casus IV.*
tiale tantum possunt contingere, pergendum nunc
ad iura hodierna, et casus secundum ea obuenien-
tes adhuc commemorandi. Antequam vero hoc
fiat, inter utrosque medium ponamus casum
QVARTVM, qui tam secundum Romanum quam
Saxonicum ius diuersam accipit faciem. Nimis igitur,
post obitum quis relinquit fratres consanguineos, et
fratrum germanorum liberos, quos simul omnes,
condito testamento inofficiose, a successione exclu-
dit. Hic ergo secundum ius civile filii germanorum
in successione intestati potiores sunt fratribus con-

E 3

sangu-

sanguineis, per *Nov. 118. c. 3.* Iam vero soli fratreis consanguinei ad querelam admittuntur, si turpis persona testamento ipsis sit praelata. *I. 27. C. de inoff. test.* germanorum autem liberi queri de inoficio non possunt. *argum. I. 1. ff. cod.* Quamuis enim alias in linea collaterali quoque liberi personam repraesentent parentum, id tamen quoad successio-
nis ius solum illis permittitur, non quoad ius insti-
tuendi querelam. Quae cum ita sint, apparet,
germanorum liberos in successione ab intestato fra-
tribus unilaterialibus esse potiores, e contra vero
hos illis in mouenda querela. Quid ergo dicendum,
si hi querelam instituentes vincant in ea, an soli sunt
successuri, an simul cum illis? Alii hoc, alii illud
defendunt; Ego, vero neutrum procedere, sed
praesenti casu querelam omnino non posse moueri
existimo. Quemadmodum enim *pr. Inst. et S. 3.*
ff. de inoff. test. docet, querela data est per testa-
mentum a successione iniuste exclusis. *conf. dissert.*
nostr. S. 11. Iam vero, frater consanguineus, nul-
lo existente testamento, non potuisset succedere,
siquidem germanorum liberi eo potiores fuissent:
ergo nec per testamentum potest dici iniuste exclu-
sus a successione, quam ne quidem ab intestato ac-
cepisset. Deinde nemo agere potest, nisi qui inter-
esse suum in actione instituta potest probare. Cui
ergo per testamentum iniuria non facta, et damnum
non est illatum, ille nec querelam instituit per *I. 25.*
C. de inoff. test. Iam vero fratri consanguineo in
casu

casu praesenti damnum aut iniuria per testamentum facta nulla est, siveque actionis interesse demonstrare non potest, quia, si vel maxime nullum adesset testamentum, a germanorum liberis tamen semper excluderetur. Idem mihi ferendum fuisse iudicium videtur secundum antiquum ius Romanum, quo SCrum Tertullianum adhuc erat in vsu, si quis reliquerit matrem et fratrem consanguineum. Honesta enim in testamento persona instituta, sola mater querelam habebat, non frater. Ast in successione ab intestato per dictum SCrum frater matrem in totum excludebat. Quae cum ita sunt, et uterque casus ad propositam in dissertatione quaestionem non pertineat, cum quaeri non possit, quis post motam querelam succedat, si ea nemini detur; mittimus haec, et ad alia, quae hodie adhuc secundum iura, quibus nunc vtimur, contingere possunt, progressum facimus. Et initio quidem, quid in concursu consanguineorum fratum et germani liberorum, cuius modo fecimus mentionem, secundum Saxonicum ius decadendum sit, videamus. Scilicet secundum hoc omnis repraesentatio quoad collaterales in totum est sublata. Vid. Conf. Saxon. Elect. P. III. const. 18. §. *Wir wollen aber, conf. das Sächs. Land - R. L. I. artic. 3. in fin.* Sicque germani filius in tertio gradu. Porro frater unilateralis uno semper gradu remotior habetur respectu aliorum bilateraliter coniunctorum, per dict. const. 18. §. *Wenn aber ein halber Bruder.*
Conf.

Conf. Gleff. in Land-R. L. 2. Artic. 20. lit. D. It.
BERLICH P. 3. concl. 24. num. 92. CARPZ. P. III.
Conf. 18. def. 21. num. 5. Sicque itidem tertio est
gradu. Ex quibus consequitur, quod, cum se-
cundum Saxonici ius tam frater unilateralis,
quam germani filius aequaliter sit coniunctus, euer-
so per illius querelam testamento, vterque ab in-
testato pro rata parte succedat.

XXIII.

Casus V.

Progredior nunc ad casum QVINTVM, si
post mortem fratris concurrent consanguineus et
vterinus, qui per turpis personae institutionem ab
intestato successione a fratre sunt exclusi. Vtrique
horum aequale ius ab intestato succedendi conce-
ssum est per Nov. 118. c. 3. non vero instituendi que-
relam, quod vterino denegatur in l. 27. C. de inoff.
test. Evidem HVBER ad ff. tit. de inoff. test. §.
8. ad Inst. tit. eod. §. 4. It. BEYER ad ff. §. 6.. ad
instit. §. 5. not. c) cit. tit. Vterino quoque fratri
hodie querelam competere dicit per Nov. 118. C. 4.
qua omnis iuris Romani veteris inter agnatos et
cognatos differentia penitus sit sublata, quae tamen
vnica fuerit causa, ob quam Codicis iure fratribus
consanguineis prae vterinis querela sit concessa,
his vero in totum denegata. Evidem, ad hoc
quod attinet, non nego, veterem hanc agnatorum
et cognitorum distinctionem vnice mouisse Roma-
nos, vt vterino fratri querelam denegarint, quam
tamen

tamen concesserunt consanguineo. Attamen ipsam hanc differentiam hodie in totum esse sublatam, per cit. Nov. 118. non satis probatur, quippe in qua successionis saltim fit mentio. Iam vero ab hac ad querelam non valet consequentia. Querendi enim ius secundum successionis spem non semper esse ordinatum, sed pares in successione, inaequales saepe esse querelae intuitu ex haec tenus commemoratis satis intelligitur. Et licet in genere, in omni et quaeunque successione cit. Nov. hanc differentiam dicas sublatam; per querelam tamen non successio petitur, sed rescissio testamenti, cum, ut dictum est supra, haec haereditatis petitionis non sit species. His praesuppositis ita, demum concludimus, quod, vincente in querela consanguineo, non huic foli haereditas debeatur, nec pars reliqua maneat apud haeredem scriptum, sed vterinus, licet querelam mouere non potuerit: instituta tamen postmodum haereditatis petitione pro sua parte, simul cum consanguineo in defuncti bona succedat.

XXIV.

Sequitur nunc **SEXTO**, vt dicamus de filio *Casus VI.*
naturali, an et in quantum huic quoque proficit querelae victoria. Evidem regulariter naturalis filius nec querelam habet, nec intestati successionem: certa tamen sub limitatione ad hanc iura ipsum admittunt. Nimurum per *Aucth. Licet. C. de nat. lib.* in sextantem succedit, cum matre diuidendam, si

F secun-

secundum probabilitatis regulas pater fuerit certus, hicque liberos legitimos, legitimamue vxorem post fata non relinquat. Fingas igitur, positis his circumstantiis filium naturalem concurrere cum adscendentibus, vel fratribus defuncti, per testamentum exclusis; Hi soli habebunt querelam, non ille. Iam vero, per illorum querelam testamento infirmato, cui successio dabitur, an soli vincenti, an vero filio quoque naturali? Et mihi quidem ex supra deducatis posterius videtur, quia per victoriam querentis paterfamilias factus est intestatus, *argum. l. 6. §. 1. ff. de inoff. test.* et sic quilibet partem suam, quam nullo condito testamento ab intestato accepisset, recte sibi petet adiudicandam.

XXV.

Causa VII.

Eadem ratio suadet, ut **SEPTIMO** quoque fratrem ante defuncti nativitatem per rescriptum Principis legitimatum ad successionem simul admittamus, si frater consanguineus, in testamento iniuste exclusus, per querelam totum testamentum euerterat. Nullo enim condito testamento, vterque simul defuncto successisset; ergo vterque etiam succederet testamento quidem condito, sed per querelam ex post facto rescisso, licet huic soli, non illi querela fuerit concessa.

XXVI.

Causa VIII.

Sed quid dicendum **OCTAVO**, si quis plures simul, quibus singulis legitimam debebat, omnes quidem

quidem rite, sed iuste alios, alios vero iniuste testamento excluderit, an hic etiam, testamento per hos euerso, illi partem suam ex haereditate capere poterunt? Et videtur quod non. Quia, qui rite et iuste simul sunt exclusi, omni prorsus ad successionem spe destituti videntur, et quorum respectu testamentum inofficium haud est, respectu horum etiam non videtur rescindendum. At enim vero, his positis testator pro parte solum testatus, pro parte vero non testatus decederet, quod tamen contra naturam esse, ex Romanorum hypothesi supra (§. 12.) monstratum. Cumque sic testamentum, quo quis est iniuste exclusus, per querelam in totum rescindatur; (conf. cit. §. 12.) nihil obstat, cur non iuste exclusi itidem ad successionem sint admittendi, rupto testamento, per quod ab hac successione excludebantur.

XXVII.

Idem quoque non dicendum erit in casu, *Casus IX.* si post obitum defuncti parentis concurrant liberi adoptui atque legitimi. Evidem hic ipse casus atque concursus impossibilis videtur ob l. 17. §. 3. ff. de *Adopt. et Emancipat.* qua legitimos liberos habenti adoptatio prorsus interdicta est. Ast enim vero non solum haec ipsa regula suas habet exceptiones, quibus est limitata, (conf. Dr. STRYK ad Lauterb. ad tit. de *Adopt. et Emancipat.* p. 47.) verum etiam, si postmodum supernascantur liberi,

hi cum adoptiis simul in successione concurrere poterunt. Quod ergo si accidat, et pater in officio sum condat testamentum; soli legitimi ad rescissio nem agere poterunt, non adoptiui, si vero illi in actione obtinuerint, et testamentum infirmarint, hos quoque simul debent admittere, quos admittere etiam debuissent, si pater sine testamento diem obiissent supremum.

XXVIII.

Casus X.

Restat ut de DECIMO adhuc dicamus casu, qui, spectatis iuris communis Saxonici principiis, eadem, qua priores, ratione decidendus est; scilicet moribundus quis relinquit patrum et consanguineum fratrem. Hic, licet ex speciali constitutio ne AVGUSTI illum in successione excludat, eum tamen secundum ius commune Saxonicum simul debet admittere. Quodsi ergo defunctus turpem in testamento personam vtrisque praetulerit, paterus quidem non habet querelam; nihilominus tamen simultaneam successionem habebit, si modo a fratre testamentum prius ruptum fuerit atque cœsum.

XXIX.

*An alii, qui
acquale ius
ab interato
succedendi
non habent,
proficit querela.*

Atque hi fuerunt casus famosiores, in quibus aliorum querela tertio, qui aquale quidem ius succedendi, non vero querendi habet, proficit esse proficia. Cum vero in rubro dissertationis in genere

nere de effectu querelae tertio proficuo acturos nos esse promiserimus, restat ut videamus adhuc, utrum non alii etiam, qui cum querente aequale ius successionis non habent, prosit querelae victoria. Hoc vero dupli ratione potest contingere, vel ut tertii ius in successione sit fortius, vel ut posterior quoque in successione sit, qui mouerat querelam. Ad prius quod attinet, unicus est casus in supra iam cit. l. 6. §. 1. ff. de inoff. test. Scilicet extraneus quis, qui nullum ius succedendi habet, querelam instituit et casu obtinet, quaeritur in legge, cui prosit victoria? et responderetur, non vincti, sed omnibus ab intestato successuris, quoniam, qui nullam successionis spem habet, everso per querelam testamento, ab aliis, qui in successione potiores sunt, excluditur. Quod vero attinet ad quaestionem alteram; an victoria querelae iis etiam prodesse possit, qui in successione, quam ipse querens, remotores sunt, ea quidem in totum neganda videntur, cum, testamento per querelam everso, si saltim succedere possint, qui ab intestato proximiores sunt, quibus existentibus, remotores semper, ut modo dictum, excluduntur.

XXX.

Dictum est haec tenus de Victoria querelae tertio proficua, quaeri nunc possit; num Victoria <sup>Haec querelae
victoria</sup> tertio non ^{tertio nun-} haec tertio non possit esse noxia? Ad quod quidem ^{quaeratur} quod attinet, id non solum expressa l. 63. pr. ff. de

40 DE VICTORIA QUERELAE

re iudic. cui, in quantum exceptio non probatur, standum in dubio, prohibere videtur: Verum et nullum, quo id contingat, exemplum fingere nobis possumus. Quamuis enim hue spectare casus legis 15. in fin. ff. de inoff. testam. videri possit, si quis contra duos haeredes in diuersis iudiciis simul ex testamento inofficio experiatur, et in altero saltim vincat, in altero autem succumbat, quia ob supra probatam haereditatis indiuisibilitatem, per quam nemo pro parte testatus et pro parte intestatus decedere potest, qui in uno vicit iudicio, totam capere videtur haereditatem, cum partem saltim sumere, et haereditatem ita diuidere, ob datam modo rationem non possit. Tamen, ut raseam huic dubio supra iam esse factum, et hoc casu, vti §. 12. dictum, defunctum pro parte testatum, et pro parte intestatum decepsisse, haud esse existimandum; expressam insuper habemus legis decisionem. Citata enim l. 15. in fin. ff. de inoff. test. expresse est sancitum, quod hoc casu agens partem solum accipere possit ipse adiudicata, reliqua apud haeredem in testamento scriptum remanente. Nec est, quod porro victoriam querelae inofficiosi tertio nocere dicas in casu, si fratri in testamento sint praelatae due vel plures personae, honesta altera, altera vero turpis; sicque testamento, tanquam inofficio per querelam rescisso, non turpem solum sed honestam etiam personam ab haereditate arceri, cui ideo velut tertio inofficiosi querela obesse ita videatur. Licit enim non

non negem, fratri excluso hoc in casu dari querelam, quia ipsi praelata in testamento turpis persona, ob quam testamentum semper sit inofficium, et per fratris querelam potest rescindi per l. 27. C. de inoff. test. Licit porro concedam, mota querela non pro parte, sed in totum, testamentum infringi per l. 7. ff. de Reg. Iur. nondum tamen euictum est, hoc casu tertio obesse querelam. Tertius enim dicitur, qui simul in lite non fuit, iam vero nostro casu in lite aequae fuit honesta persona, quam turpis, et querela non contra hanc solam datur, sed in genere contra omnes haeredes. Ergo, sic exclusa ab haereditate persona honesta, non excluditur tertius quidam, sed ipse reus, quem heres ab intestato per institutam querelam in iudicio legitime vicit.

XXXI.

Atque sic absoluimus omnem de effectu que- Eadem habe-
relae inofficiorum, respectu tertii, tractationem, etni- quae de querel-
hil restat, quam ut coronidis loco pauca quaedam dis ea sunt,
de nullitatis querela hac occasione adhuc addamus. uriliter etiam
Nimirum quicquid iam de inofficiorum querela a me ad nullitatis
fuit assertum, id idem obtinet quoque et applicari possunt.
potest ad querelam nullitatis, si scilicet defunctus
eos, quibus legitimam debebat, in testamento non
rite exclusit. Cum enim nec nullitatis querela ha-
reditatis sit petitio, sed actio praeparatoria, nec
itidem per eam testamentum ex parte saltim, sed
potius

potius in totum, pro nullo declaretur; appareat, per hanc etiam querelam viam ad successioem simul omnibus aperiri, qui proximam et aequalem ab intestato succedendi spem habent, nisi forte alia, quae contrarium suadere videatur, diuersitatis sub-
sit ratio.

XXXII.

*Finis imponi-
zur.*

Vniuersis ac singulis ita pertractatis, merito dis-
sertationi finem impono. Priusquam autem id fiat, a
candido Le^tore benignam censuram iterum iterum-
que, qua decet humanitate, peto in iis, quae non
eruditte satis et accurate apposita, forte videbuntur.
Qua impetrata, fiet, vt huius me suscep*ti* laboris
nunquam poeniteat. T E O coeterum T. O. M. qui
in ipso negotio sua gratia nobis adiustere voluit, in
aeternum sit laus atque honor.

F I N I S.



Halle, Dicks 1719. H-2




f

TA-701

nur 2. Sten bis vor verknüpft?

Ruth



Vol. xx. num. 16.

1719
106

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

D E

VICTORIA QVERELAE
IN OFFICIOSI TERTIO
PROFICVA

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

AD D. X. IVLII MDCCXIX.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS CONSVENTIS

DEFENDET

M. FERDINAND AVGVST
H O M M E L,

L I P S .

EDITIO SECUNDA.

L I P S I A E

APVD IO. CHRISTIAN. LANGENHEMIVM.

MDCCCLXV.

